

que fuit olim cuiusdam Embriconis de Bikkenbach, quam Embrico clericus predicti Embriconis filius pro remedio anime suę et parentum suorum multis astantibus capelle sancti Michahelis contulit. Hęc autem universa, vinee videlicet quinque cum predicta domo, capelle sancti Michahelis sub multorum testimonio collata ad prebendam predicti fratris A. et successorum eius spectant, tali videlicet pacto ut ab eodem fratre suisque successoribus pro remedio anime prefati prepositi S. parentumque suorum simulque fidelium animarum sub eadem capella quiescentium nec non pro universis fidelibus defunctis in eadem capella per singulos dies in perpetuum missarum sollempnia celebrentur. Predictus autem frater tempore vicis suę cum ceteris fratribus in ecclesia beati Petri sanctique Severi ebdomadam suam facere tenetur, ita ut, quicquid in oblationibus vel in aliis elemosinis in predicta capella sive ad altare beati Petri sanctique Severi sibi contigerit, ipse cum eis et ipsi invicem cum eo in omnibus equaliter et amicaliter dividant. Quod si predictus frater rebus humanis exemptus fuerit, electio futuri successoris ab obitu eius usque ad triginta dies predictis quatuor fratribus clericis incumbit, simulque aliis quatuor laicis personis, quorum nomina hec sunt: Cunradus senex, Winandus, Godefridus, Cunradus de sancto Remigio villicus. Si quis autem istorum decesserit, arbitrato bonorum virorum alius substituendus erit. Et infra predictos XXX dies a supra dictis personis preposito sancti Martini est presentandus et ab eodem, si presens fuerit, sine mora, remota omni occasione¹, investiendus; quod si idem prepositus, quod absit, causa avaricie facere distulerit, prefatus electus auctoritate dei et nostra prebendam, ac si investitus¹ esset, in pace possideat et debitum servicium ecclesię et capelle sancti Michahelis devotus exhibeat. Quod quia zelo dei factum esse consideravimus, ut perpetuam haberet firmitatem, nostra auctoritate corroboravimus, indulgentes prefato A. eiusque legitimis successoribus in perpetuum plenarium ius canonici et potestatem et honorem, ut par sit reliquis quatuor canonicis eiusdem ecclesie in eligendis fratribus sive in quibuscumque aliis causis ad eandem ecclesiam spectantibus. Hanc autem tam pie constitutionis paginam nostro sigillo insignitam si quis superba temeritate infringere presumpserit, auctoritate dei et beati Petri et nostra anathematis dampnationi subiaceat, nisi resipiscat.

1) So das Orig.